



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioan. Petri Maffei, Bergomatis, E Societate Iesv,
Historiarvm Indicarvm Libri XVI.**

Maffei, Giovanni Pietro

Antverpiae, 1605

Gasparis Vilelæ Ad Societatem Iesv Goam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11473

44 SELECTARVM EPISTOLARVM
dictorumque in iis locis auctoritatem futuram, nisi majore apud
eos esset in honore, quam ipsimet Bonzii, quos illi sancte valde re-
uerentur. Quam eius animi magnitudinem, vitæque contemptum
Iaponii usque adeò mirabantur, utri Xauerius etiamnum mag-
num apud multos nomen sanctitatis obtineat. Ego in gravissimam febrim incidi magno sancte vita periculo: ex qua tertio de-
nique mense præter opinionem euasi: cumque res Iaponicae in
bulenta exiguam spem profectus ostenderent, infirmo etiamna
corpo, ad meum prouinciale munus in Indiam mihi renun-
ciatum existimavi. Huc nos (qualem nec videre me in vita memini,
nec verò existere vnuquam posse putau) saeuissima dierum quinque
tempestate iactati, incolumes Deo miserante peruenimus; cuius
bonitatem supplices exoramus, ut quos è tot periculis ex-
ptos in hæc loca perdixit, eosdem obedientia duce ad celesti
regna sedesque peruenire patiatur. Cocino, iiiij. Idus Ianuæ
MDLVIII.

GASPARIS VILELÆ AD SOCIETATEN
IESV GOAM.

Anno superiore, fratres mihi carissimi, ad vos fusè per-
psi res cùm aliis huius prouinciae locis, tum præsertim Firandi
gestas, vbi annum sum commoratus, quo tempore
spatio Christiani mille & trecenti facti, templa quæ
Christo dedicata sunt, quæ Idolorum antea fuerant. quam rerum
conuersionem aduersarius ægre ferens, magnas in nos turbas
per Bonzium quendam exciuauit, qui ex incremento rei Christianæ
acti odio in nos iam antè concepto, habita insuper nobiscum
disputatione turpiter vicit, adeò exarsit dolore ac rabie, ut
pernicie nostram ex illa die neruos omnes intenderit. Con-
fessim prava Bonziorum dogmata atque mendacia vulgo prædicare
aggressus est, idque eo euentu, ut cuius nomen Firandi antea
tempus obscurum atque ignorum fuisset, plurimos iam sectatores
haberet; nec plebs modò, sed ipsi Bōzii ex eius ore pederent. Inter
hæc ille populum in nos omni arte incitare, monere & hortari,
ut nos, sicuti Franciscum Xauerium antè exterminarent, at-
que ita Deorum ab se iram ac minas auerterent: quibus
rebus effectum est, non solùm ut multi in nos falsum dic-
rent testimonium, sed etiam (quod Christianos pupugit vehe-
menter) ut Crucem effringere non dubitarent in sacro co-
meterio positam: quam injuriam & Regulus ipse, & ali-

quot

quod alii Christi gloriae cupidi, quamquam vlcisci parati, justis tamen de causis patienter tulerunt. Dominus vero Deus noster nihil iis aliisque multis eorum sceleribus commotus, sed recordatus miserationum suarum antiquarum, pro famis atque fluminibus signa misit e cœlo ad eorum tenebras fugandas perquam clara & illustria: etenim in media aeris regione species Crucis apparuerunt, aliaque prodigia valde conspicua, veruine nimero usque adeo densa caligine mentes eorum obducte sunt, ut insolitam lucem intueri nequerint; sed potius in sua pertinacia obfirmatores, neophytes a Christi cultu summa vi reuocare conati sint.

Mecum est urbs totius Iaponis caput, frequentissima academia litteratorumque conuentu per celebris: cui ciuitati quod Evangelii lux nondum affulxit, Cosmo Turriano Rectori nostro visum est faciendum, ut aliquis nostrum ad explorandum ciuitatis statum, simulque tentandum quis ibi locus Evangelio sit, mittetur. Eius rei gratia crebris supplicationibus ac sacrificiis ritè peractis, haec mihi prouincia obtigit, quamvis ad fatum onus haud quam idoneo. Sed qui illud mihi imposuit Dominus, idem ferendo quoque suppeditabit vires. Evidem, quod ad me attinet, mortem, injurias, incommoda, & frigora, que in his regionibus maxima sunt, mihi propono. Iaponicae linguae tametsi consuetudine aliquam nactus sum, tamen quo facilius atque commodius cum Iaponiis agere possim, interpretem e Societate nostra Iaponium mecum duco, iamque me ad iter accingo. Itaque ne longior sim, temporis angustiae prohibent. Illud a vobis fratres carissimi enixe pero quaque, ut me in tali tantaque te omnis opis egentem, Domin o quam diligentissime commenderis. Ex Iapone, Cal. Sep. tembi. M D LIX.

IOANNIS FERNANDI AD MELCHIOREM NONNIVM.

ACTA proximi superioris biennii cognosces ex litteris iis, quæ publicè missæ sunt. Nunc accipe quæ mihi in praesentia occurruunt. Bungensium Christianorum in suscepta religione major in dies firmitas atque constantia cernitur: quippe se pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentis idem muniunt: sacris cōcionibus adsunt, subinde se verbēibus puniūt, aliaque pia munera diligenter obeunt: horarias preces quotidie recitant, cruciatibus Domini in horas singulas ita distributis, ut uniuersam eius historiæ seriem singulis diebus ea ratione percurrent.